

Colores
Respondit Turba. Dic ergò secundum opinionem tuam Zenon in hoc, & cave invidiam. *Et ille:* Scitote quod colores qui vobis ex eo apparebunt sunt hi. Scitote filij doctrinæ quod oportet vos compositum 40. diebus putrefacere, demum quinque vase sublimare. Demum igni stercoreis jungite & coquite. Primo die nigra, citrina; Secundo vero nigra rubea; Tertiò quoq; croco sicco similis, demum perfectus color nobis apparebit: fermentum & nummus vulgi imponetur, tunc est ichir compositum ex humido & sicco & tunc invariabili tingit tinctura. Et scitote, quod corpus est in quo aurum est. Ichir autem ponentes cavete ne festinanter ipsum extrahatis forte, namq; moratur. Extrahite igitur ipsum secundum unum iuxta nostrum. Hoc autem venenum est, quasi nativitas & vita, eò quod est anima ex multis extracta rebus, & nummis imposita, eius igitur tinctura est vita, his quibus adimit detrimentum, & mors corporibus ex quibus extrahitur. Ideoque magistri dixerunt interea esse, libidinem tanquam maris & fœminæ, & si quilibet in hac arte introductus eius sciret naturas, prolixitatem sustineret coquendi donec propositum nutu DEI extraheret.

Sermo Vigessimus septimus.

GREGORIUS *inquirit:* omnis Turba, notandum est, quod invidi venerabilem lapidẽ effludicinus nuncupaverunt, & ipsum regi iusserunt donec coruscans fiat ut marmor splendore. *Et illi:* Demonstra igitur posteris quid est. *Et ille:* libenter, sciendum est quod æs commiscetur aceto, & regitur, donec aqua fiat. Demum congeletur, & fiet lapis coruscans, splendorem habens ut marmor quem videntes iubeo regere, quousque rubeus fiat eò quod cum coquitur, donec diruatur & terra fiat, in rubeum vertitur. Sic eum videntes iterantes coquite, & imbuite quousque colorem induat prædictum, & fiat aurum occultum: deinde iterate ipsum & fiet aurum tyrij coloris. Oportet vos igitur omnes huius artis investigatores, cum videritis hunc lapidem coruscantem, ruendo incidere & in terram verti, & habere aliquantulum ruboris, ut aquæ residuum accipiatis, quam invidi iusserunt vos in duas dividere partes, & ea multotiens imbuatis quousque occulti nullo corpore colores vobis appareant. Et scitote si nescienter ipsum rogatis, istorum colorum nihil videbitis. Vidi namque quendam qui hoc cæpit opus, & veritatis naturas operatus rubore autem aliquantulum morante putavit se

vit se